

His probatis, obstacula quæcunq; contra assertionem dicitam facere videntur dissoluemus, inter quæ primarium hoc occurrit, quod Cœli ab Inferioribus diuersitas vel maxime convinci videatur ex motu dicto physico, quem Inferiora admittere certum est: nullum autem (locali excepto) Cœlestibus competere hactenus traditum.

Evidentissime autem & ab experientia potissimum ipsa Cœli & Cœlestium fœcunditatem demonstrabimus, & hanc quidem maiorem quam in Inferioribus, h.e. Cœlestium generationes, corruptiones: augmentationes, diminutiones: alterationes, oculis ipsis reuera cernendas, animoq; dehinc contemplandas proponemus.

Et hæc quidem hisq; consimilia de Cœlo, deinceps de Cœli Contentis acturi, sub quibus hoc loco (Cometis cœlestibus & alijs ad sequentia reiectis) Stellas comprehendimus, quarum phænomena omnia, circa quæ Astronomia versatur, capitibus includemus sequentibus, dicturi I. de Numero Stellarum. II. de Figura earundem. III. de Stellarum Colore. IIII. de Quantitate & Distantia Stellarum. V. de Motu Stellarum.

### *De I. seu de Numero Stellarum.*

Numerum Stellarum non Infinitum sed Innumerabilem docebimus. Qui item Visibilem Stellarum numerum (præter stellas seu Planetas 7.) veteres 1022. Stellis comprehenderint.

Licet ex prædicto Stellarum numero quædam Stellæ circa polum depresso nos subterfugiant. Aliæ etiam ultra numerum dictum circum eundem polum Stellæ memorentur.

Quibus omnibus seclusis, nihilo minus Stellas quasdam iam omnino non videri: complures quantitate & lumine auetas & diminutas conspici: alias item seu nouas Stellas iam offerri ostendemus.

### *II. Sub Figura Stellarum hæc tractabimus.*

Post probatam figuram veram Stellarum omnium rotundam seu sphæricam, visibili vero figura plana circulari explicata, doctrinam Eclipsum Solis & Lunæ, nec non Lunæ diuersarum Φασεῶν (quæ & ipsæ corporis seu figuræ Lunaris Eclipses existunt) aggrediemur. Proposita vero & explicata causa Eclipsum Solarium recepta, Lunæ item & Eclipsum & Illuminationum (vt vocant) doctrinam & causas visitatas subiungemus, de earundem insufficientia ex observationibus inprimis seu experientia acturi.

Aliam.